

Præsentis ac suavia,
 Secti linquentes ardua
 Gestant parata bravia.
 Nam rex prophanus idolis
 Impellit hos ut spurcidis
 Litarent, nec flectit aris,
 Tetrus angit suppliciiis.
 Sed cuncta forti pectore,
 Postquam flagella strenue,
 Christi vicerunt munere.

A

Tenant coronas fulgide.
 Nos ergo fratres supplices
 Poscamus ut nos utiles
 Reddant ad hymnos cœlites,
 Regnique dent participes.
 Sit Trinitati gloria,
 Sit laus, decus, victoria
 Patri ceu Nato maxima,
 Cum Pneumate per sæcula.
 Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLIV.

JOANNES ITALUS

CLUNIACENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN JOANNEM ITALUM.

(Oudin, Comment. de Script. eccles.; tom. II, p. 434).

Joannes Italus, Cluniacensis monachus, patria Romanus, natione Italus, ac professione canonicus, quem sanctus Odo, abbas Cluniacensis anno 939 Romam profectus, hinc secum adduxit usque Ticinum, ibique monachum instituit, ut constat ex ipsius Joannis Itali verbis, libro I Vitæ sancti Odonis, num. 2 et 4. Inde cum illum aliquandiu in peregrinationis locum assumpsisset, priorem postea ordinavit, ut non semel legitur in libro II, num. 4, 7 et 10. Num Cluniaci, an Romæ ad sanctum Paulum, vel alibi, incerta res est: quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10 et 21. *Se Neupolim missum esse monasterii sui cogente necessitate* idem Joannes testatur, num. 21. Bientiumque lib. III, num. 5, computat totum illud temporis spatium, quo sancti Odonis socius fuit. Scripsit autem Vitam sancti Odonis abbatis Cluniacensis libris tribus, mandans litteris quidquid vel ipse per istud intervallum ejus factis aut dictis vidit atque audivit, vel ab aliis postmodum assequi potuit. Porro cum sanctus Odo anno 942, die 18 Novembris mortuus sit, non procul ab hoc tempore hanc abbatis sui Vitam scribere aggressus est. Opusculum istud a se compositum Salernitatis monachis sibi amicis atque familiaribus olim, dedicavit Joannes Italus, quem multi postea imitati fuerunt. Eandem enim Odonis Vitam circa, annum 1120 scribendam suscepit Nalgodus Cluniacensis monachus, in compendium simul ac meliorem ordinem Joannis opusculum redigens. Habetur hæc Vita sancti Odonis a Joanne Italo composita, in Collectaneo Laurentii Surii, tomo VI, ad diem 18 novembris. Itemque hæc duæ Vitæ Joannis et Nalgodi, in Bibliotheca Cluniacensi, cum notis Andreæ Duchesnii. Denique sæculo V sanctorum ordinis divi Benedicti, pag. 124 et sequentibus, 150 et sequentibus. Agunt de Joanne Italo Vitæ S. Odonis scriptore, Gerardus Joannes Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 40, pag. mihi 324; Joannes Mabillon et Andreas Duchesnius, locis allatis.

VITA SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS II

Vide supra in Prolegomenis ad sanctum Odonem.

JOANNIS ITALI IN LIBRUM SUUM DE MIRACULIS⁽²⁴⁷⁾.

PROLOGUS.

(Pez; Codex diplomatico-historico-epistolaris).

Sæpe hortatus es, nobilissime vir atque claris- A nem, omnium monachorum sacerdotumque ulti-
 sime consul, Domine Pantalee, me infimum Joan- mum, ut aliqua, quæ in libris seu historiis Græ-

(247) Exstat opus in cod. Benedictoburano, manu sæculi XII circiter extrato, licet ejus auctor sæculo .VII vel IX non videatur recentior.